



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 104. Montluci testimonium de pollicitatione Polonis facta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.
A. C. 1572.

libertatem concedat. VI. Pro firma pace inter suos subditos diversæ religioni addictos, edicta postmodum servanda promulget. Hunc postremum articulum hæretici, qui Posnaniensem Episcopum comitabantur, præcipue urgebant, a Rege postulantes, ut hæc sectæ suæ libertatem jurato promitteret, hancque sponsonem violari nullatenus concederet. His quoque addebant, quod Regis Oratores id interposita juramenti religione promississent, ac proin horum fidei sese committerent. Verum Catholici, qui novum Regem comitabantur, responderunt, quod Rex duntaxat leges in regno receptas servare teneatur, ac privatorum postulata nullatenus publicæ utilitati præjudicio esse possent. Hoc responso vix non quædam altercatio fuit excitata, cum quivis suam opinionem tueri satageret, ac præprimis Biragus Cancellarius, Morvillerius, Albaspinæus, & quidam alii in mandatis, quæ Franciæ Rex suo Oratori dedisset, nil tale contineri affirmabant.

§. CIV.

Montluci testimonium de pollicitatione Polonis facta.

Cum autem præ Montluco nemo alius hac de re plenior habuisset

no-

Sæcul. XVI
A.C. 1573.

notitiam, eique speciatiim hæc mandata fuissent injuncta, hinc ipse rei veritatem detegere jubebatur; tum enim e Francia reversus opportune advenerat: hic itaque fatebatur, quod quidem de Religionis dissidiis quicquam agere jussus non fuisset, cum vero hæretici Parisiensem Protestantium cædem non casu, sed studio, atque ex præmeditato consilio patrâtam fuisse contenderent, eapropter, ut hanc opinionem dimitterent, oportebat, Rex se de tantæ crudelitatis Auctoribus pœnas sumpturum promitteret, ac de cetero Protestantibus idonee caveret, & edicta in eorum gratiam a se facta servaret, cum præteritorum ultionem, & in posterum securitatem suis populis deberet. His rationibus victum se, ac persuasum Monlucus ajebat, ut hæc Regis nomine promitteret, veritus, ne eos, si id recusasset, minus placatos haberet, & procedenti feliciter electionis negotio remora, aut impedimentum inde afferretur. Verum rem ejusmodi esse addebat, ut ea nequaquam ad Polonos pertineat, nec ejus ratione Rex teneatur.

§. CV.

Oratorum postulata a Poloniæ Rege elusa.

Cum